

*simili Alciato Symbolum illud illustrare lubuit ) ita etiam Criticae, ut vulgò dici solent, disquisitiones, modicè & absque temporis dispendio ordinariis lectionibus inspersae, quasi condimento, in longum vero protractae & nimis saepe reiteratae, veneno esse possunt: ut ita sat causae, quamobrem in Angelum Politianum, Canonicum Florentinum, inuectus sit, Mornaeus habuisse videatur, quod ille, quamdiu vixit, disputauerit, dicendumne esset Virgilius, an Vergilius? Carthaginiensis, an Carthaginensis? Praecipue vero odiosum est, si de eiusmodi subtilitatibus inter se digladiantur, altero supercilio ad frontem sublato, altero ad mentum depresso sibi inuicem respondent, & de opinionibus suis tanquam de aris & focis contendunt, id quod plerumque facere solent illi, qui plus iusto grammaticis putaminibus pascuntur, more Graecorum, de quibus L. I. de Oratore Cicero, Verbi, ait, controuersia tam diu torquet Graeculos homines, contentionis cupidiores, quam veritatis. Adde & hoc voluptatis genus, inquit de talibus Erasmus in Encomio Moriae, quoties istorum aliquis Anchisae matrem, aut vocolam vulgo incognitam in putri quapiam charta deprehenderit, putà bubsequam, bovinatorem, aut manticulatorem, ô Iupiter! quae tum exaltatio! qui triumphus! quae encomia! perinde ac si vel Africam deuicerint, vel Babylonas ceperint. Noui quendam πολυεχνοτάτων, pergit Erasmus, Graecum, Latinum, Mathematicum, Philosophum, Medicum, καὶ τὰ βασιλικόν, iam sexagenarium, qui, caeteris rebus omissis, annis plus viginti se torquet ac discruciat in Grammatica, prorsus se felicem fore ratus, si tamdiu liceat viuere, donec statuatur, quomodo distinguendae sint octo partes Orationis, quod haecenus nemo Graecorum aut Latinorum ad plenum praestare valuit, perinde ac si res bello esset vindicanda, si quis Coniunctionem fecerit dictionem ad Adverbiorum ius pertinentem. Modus igitur, ut in aliis rebus omnibus, ita in his quoque rebus summè necessarius esse videtur, eumque seruare poterunt, si quilibet, sensu licet suo abundet. tamen intra gyrum officii sui se contineat, omnibusque in actionibus honorem DEI & dexteram iuuentutis informationem scopi loco ob oculos sibi ipsi ponat, nec concedat, aut ita se gerat, ut in se quadrent verba Tullii de Philosophis Graecis, quae sic se habent: Hoc dico de toto genere Graecorum, tribuo illis literas, do multarum artium disciplinam, non adimo sermonis leporem, ingeniorum acumen, dicendi copiam; religionem autem & fidem*

fidem